



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1735. usque ad annum 1737

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum [u.a.], 1786

VD18 90119347

§. 8. Summi Pontificis sollicitudo in procurandis belli suppetiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67868](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67868)

Sæc. XVIII. „pollicemur, laudisque partem advoce
A. C. 1737. „tur“.

„Interea ad voti successus auspiciam
„Fraternitati tuæ Apostolicam Bene-
„dictionem peramanter impertimur“

§. VIII.

*Summi Pontificis sollicitudo in pro-
curandis belli suppetiis.*

Ceterum hoc bellum contra Turcas
consilio, si tamen res ex eventu sit
metienda, non optimo gestum est, imo
neque necessarium, nec sat opportune
susceptum fuisse, videbatur non pro-
cis; (*) quocirca præter Cæsarem nū-
lus alius est inventus, qui se se hinc
expeditioni immiscere vellet. Equi-
dem Carolus Imperator, qui sibi mag-
num in Clemente Papa præsidium po-
nebat, eumque ad ferendas suppetias
adeo pronum experiebatur, denuo eum

(*) Goebelius Helmstadiensis Ictus iusti-
tiam hujus belli propugnabat edito hoc libello:
*Iustitia Cæsareorum armorum contra Turca-
rum Sultanum a malevolorum criminationibus
vindicata.* Hunc in finem alius etiam prædixit
libellus sub titulo: *Recherche des causes de la
présente guerre &c.*

Sæc. XVIII.
A. C. 1737.

dem impense rogabat, ut sacrum fœ-
 dus seu, ut vocant, *sacram Ligam* cun-
 ctis Catholicis Principibus indiceret,
 ad eum ferme modum, quo olim au-
 thoritate Innocentii XI. anno Christi
 supra millesimum sexcentesimo octoge-
 simo secundo, cum Turcæ atrocissimo
 bello Cæsarem premerent, Imperator
 Leopoldus cum Poloniæ Rege & Ve-
 netorum Republica juramento se ob-
 strinxere, sibi invicem auxilium ferendi,
 quibus maximis possent viribus, quo-
 tiescunque quis eorum ab Infidelibus
 impeteretur: Verum Pontifex, cum
 intelligeret Cæsarem ad arma a Turcis
 non fuisse provocatum, sed sponte bel-
 lum in Moscorum favorem suscepisse,
 Carolo Imperatori rescripsit, vehemen-
 ter se dolere, quod in hac rerum vicif-
 situdine ejus postulato morem gerere
 haud posset, de cetero autem pro suo
 singulari, quo Cæsaream suam Maje-
 statem prosequeretur affectu, & pro
 suo ardentissimo promovendæ Religio-
 nis studio se ad omnia officia paratissi-
 mum esse: Nec amplis hisce promissis
 operis constantia defuit, quippe Pon-
 tifex ipse literas ad Poloniæ Regem,
 & Venetorum Rempublicam misit, ac
 omni rationum verborumque pondere
 eis persuadere nisus est, ut & ipsi sua
 etiam arma Cæsareis jungerent, cum

F f 5

ipso-

Sæc XVIII. ipforum quoque maximopere interesset
 A. C. 1737 communem Christianæ Reipublicæ ho-
 stem opprimi. Insuper, ut Deus exer-
 cituum Cæsareis armis Divina ope præ-
 sto esset. Jubilæum, aliasque publicas
 supplicationes indixit; cumque ei nun-
 tiatum esset, magnum Christianorum
 militum in Hungaria numerum esse,
 qui gravibus afflictati morbis insuper
 rerum pene omnium penuria premeren-
 tur, his ut aliquatenus succureret, de
 privato suo peculo duodecim mille au-
 reos submitit. Hoc exemplo animati
 Cardinalium potissimi, nonnulli etiam
 Episcopi, Ordinumque Magistri in ean-
 dem quoque causam tam copiose pecu-
 nias collegere, ut quadraginta aureo-
 rum millium summa conflaretur in mi-
 seriarum levamen expensa. Denique
 Pontifex ingentem pecuniarum vim ex-
 trahendam ex arce S. Angeli, ubi ad
 quinquies centena aureorum millia pro
 publicis Christianæ Reipublicæ neces-
 sitatibus asservabantur, Cæsari gratio-
 se obtulit, hac tamen lege, ut Parmam
 & Placentiam sedi Apostolicæ restitui
 curaret: Ast hæc conditio a sancti-
 re Cæsaris Senatu rejecta est.